922.2151
M 773g

P. HIERONYMUS GOLUBOVICH, O. F. M.

VITA ET GESTA

FR. IOANNIS DE MONTE CORVINO

PRIMI ARCHIEPISCOPI KAMBALIENSIS

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
2400 RIDGE ROAD
BERKELEY, CA 94709

Property of
CBF
Please return to
Graduate Theological
Union Library

AD CLARAS AQUAS

EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

1928.

Extractum ex Periodico *Acta Ord. Fr. Min.*
An. XLVII, Iulii 1928, Fasc. VII.

VITA ET GESTA

FRATER Ioannes a Monte Corvino dictus, quod oppidum est in Apulia Daunia, non longe a Luceria civitate (1), inibi ortum duxit anno salutis nostrae 1247.

De iuvenili eius aetate, de parentibus, deque ab eo gestis et studiis, nihil prorsus explorata fide novimus, nisi quod (teste coaevo fratre Marignollio), antequam Ordini Seraphico nomen dederit « *primo miles, iudex et doctor* » in saeculo fuerit, demum, « *factus frater Minor, doctissimus*

(1) Ita Waddingus, *Annales,* ad an. 1289 n. 1, sed cfr. an. 1307 n. 12.

et scientissimus » evasit (1). Hinc, cum miles, iudex et doctor dicatur, profecto illum nobili et opulento genere natum licebit arguere. Quandonam Ordini nomen dederit, prorsus ignoramus.

Utcumque sit, Ioannes noster, in Ordine Fratrum Minorum Beati Patris Francisci devotus imitator extitit, in seipso rigidus et severus fuit, et in verbo Dei docendo privilegiis gratiosis fultum fuisse a Domino historia veridica testatur (2).

Hinc, paucis post annis, dignus visus est Ioannes ut et ad Orientales missiones apostolus mitteretur. Illum itaque generalis minister Bonagratia, circa annum 1279, una cum aliis plerisque consodalibus, in diversas Orientis regiones amandavit (3). Ab anno namque 1279, aetatis suae trigesimo secundo, illum in Oriente

(1) Cfr. Itinera fr. Ioan. de Marignollis in nostra *Biblioteca bio-bibliografica della Terra Santa e dell' Oriente Francescano,* t. IV, p. 272.

(2) Ita teste coaevo Fr. Elemosina in nostra *Biblioteca,* t. III, p. 86.

(3) Cfr. Wadding ad an. 1289 n. 1.

munus apostolicum ferventissime ac maximo cum animarum lucro exercuisse nobis ultro constat; quippe qui in plagis Orientalibus et Aquilonaribus, per novem circiter annos, « *potenter et audacter seminare poterat verbum Dei* », ita ut « *multa millia hominum ad baptismum convolarent* » (1).

Talis ac tantus miles Christi effectus, postquam *Tartariam* Septentrionalem, *Armeniam*, *Persiam* aliasque finitimas regiones Orientis evangelizando peragrasset, Ioannes in Italiam, decimo sui primi apostolatus anno (1289), redire debuit, ut pariter duplicem provinciam tum ab *Haytone* Rege Armeniae, tum ab *Argone* tartarorum Imperatore Persidis sibi concreditam expleret, Summoque Pontifici oretenus referret immensam gentium multitudinem ad Fidei unitatem accessisse, et de statu Christianorum illarum partium salubrius Apostolica Sedes provideret.

(1) Ita teste consocio fr. Arnaldo Alemanno in nostra *Biblioteca*, t. III, p. 161. Vide infra *Docum.* II.

Rediit ergo Ioannes cum aliquibus sociis in Italiam, et a Principibus sibi commissam legationem ita coram Pontifice Maximo feliciter et gratiose complevit, ut pium Pontificis animum summo repleverit gaudio et fervore.

Erat tunc Pontifex, sub nomine Nicolai IV, frater Hieronymus Asculanus ille, quem iam Ordinis FF. Minorum Generalem Ministrum extitisse, quemque antea Apostolicae Sedis Legatum in Oriente apud Graecos novimus fuisse, et de missionibus egregie edoctum et valde bene affectum ex centenis Bullis ab eo emanatis lucide comprobatur.

Cum igitur Pontifex Nicolaus IV bene comperisset, quanta in longinquis illis regionibus frater Ioannes sociique eius bona patraverint facinora in salutem animarum, eosdem ipsos, iam probatos et expertos operarios, voluit decrevitque redeundos ad socios per immensas regiones Orientis dispersos, ut inibi denuo cum caeteris fratribus Christum evangelizarent in Gentibus.

Necessariis itaque privilegiis munitos, et Apostolicis gratiis affectos, statim Pontifex (ait Waddingus noster) fratrem Ioannem, illico suum constitutum Legatum, remisit cum sociis quamplurimis in Orientem, multis ab eo datis litteris (numero 26) ad Reges Georgiae et Armeniae, ad Imperatores tartarorum Persidis et Asiae centralis, nec non ad maximum Imperatorem Sinarum *Kublay Kan,* praeter alias litteras ad multos Principes, Magnates, Patriarchas, Archiepiscopos et Episcopos totius fere Orientis, per quorum regiones usque ad Sinas Ioannem cum sociis transmeare oportebat.

Lubet ex litteris Apostolicis ad *Argonem* Imperatorem datis, haec Pontificis verba referre (15 iul. 1289):

« Sane dilectus filius frater Ioannes de Monte Corvino, de Ordine Minorum, lator praesentium ad nostram de Orientalibus partibus praesentiam veniens, attentae relationis officio nostro Apostolatui patefecit, quod tu tamquam a Do-

mino, in cuius manu corda sunt terrenorum Principum, inspiratus, et specialis gratiae dono praeventus, erga nos et Romanam Ecclesiam, ac etiam alias Christianorum Ecclesias, magnae devotionis geris affectum. Adiecit etiam dictus Frater, quod sibi, eiusque sociis, dum in tuis partibus moreretur Christi prosequentes obsequia, humanitatem grandem et benignitatem exuberem tua clementer exhibuit magnitudo, quodque degentibus in terris tuae ditioni subiectis imperio, fidei cultoribus Christianae te benignum et benevolum exhibes, eosque non sine sonoro praeconio, et dispositionis indiciis ad salutem, quae de bono semper in melius deduci cupimus in augmentum, sedulae tuitionis auxilio confoves, et favore prosequeris gratioso. Nos autem tam gratis et acceptis rumoribus intellectis, laetati fuimus in immensum, cum tuae salutis augmentum sinceris affectibus cupiamus. ... Ceterum praelibatum fratrem Ioannem, et eius socios ad partes ipsas salubre prosecuturos negotium quod coeperunt, fiducialiter remittentes, instanter exposcimus, ut eos, intuitu Dei, et ob reverentiam Apostolicae Sedis et nostram, benigne habeas commendatos, eis super huiusmodi executione negotii favorem Regium

impensurus, cuius fulti praesidio, utilius et efficacius se habere valeant in hac parte, quodque aliquos ex ipsis tecum iugiter teneas, qui tibi, tuoque proponant populo verbum Dei, et de salute tractare valeant animarum. – Datum Reatae idibus iulii anno II » (1).

Ioannes igitur cum suis consodalibus, statim post acceptas has litteras discedere potuit, eodemque anno (1289) Georgiam et Armeniam ingredi, et inde ad *Argonem* Imperatorem transire, qui in magna civitate *Tauris* (Tebris) degebat. Haec enim civitas tunc regni sui caput erat et grande emporium, ubi Fratres Minores duos habebant conventus, in quorum altero una simul cum dilectis Fratribus Praedicatoribus versabantur, insimul in una domo commorantes, insimul eamdem vineam Domini excolentes.

Ioannem nostrum *Persidem* attigisse indubie constat, et *Taurisium* pariter incoluisse item constat ex ipsius litteris, quas infra dabimus. Verum tamen, ab

---

(1) Wadding, ad an. 1289 n. 2.

anno circiter 1289, vel 1290, quo illuc pervenerat, nihil de eo, neque de eius inibi gestis historia voluit enarrare usque ad sequentem annum 1291, quo ille versus *Indiam* et *Sinense* imperium primus inter omnes apostolicos operarios arripuit iter atque prospere complevit.

Ioannes igitur cum praefatas legationes pontificias apud Principem et Magnates Persidis explevisset, e civitate *Taurisii* recessit anno 1291, et iter ingressus est versus *Indiam* duobus tantummodo comitatus sociis, scilicet *Nicolao de Pistorio,* fratre Ordinis Praedicatorum, et domino *Petro Lucalongo*, mercatore ditissimo aeque ac christiano piissimo. Cum ergo omnes tres simul totam meridionalem Persidem per viam *Yezd* peragrassent, et ad *Ormuz* civitatem in sinu Persico sitam pervenissent, ibi navem conscenderunt, et sic totum mare indicum traiicientes Indiam tandem ingressi sunt incolumes.

Ibi Ioannes noster apostolicum ministerium ita alacriter et prospere incepit, cum fratre *Nicolao* dicto, ut brevi tem-

pore in diversis locis, fere centum indigenas indos sacro baptismate regeneraret Christo. In Maabarico litore, apud Sanctum Thomam (*San Tomè* = Maliapur, prope Madras), primam ecclesiam latinam fundavit, in qua defunctum socium fr. *Nicolaum* Ord. Praed. onorifice tumulavit.

Cumque consumpsisset menses XIII in apostolatu *Indiae,* et totam fere *Indiam* circuisset, Ioannes ulterius procedens (forsan cum amico socio Petro Lucalongo), *Sinense* tandem imperium et civitatem magnam *Kambalek* (Pekinum) ingreditur anno 1293 vel 94. A Magno Kam, imperatore tartaro, honorifice fuit receptus qua Legatus Summi Pontificis, cuius legationis litteras secum Ioannes ferebat. Qua Legatus, Ioannes peculiare locum in Curia imperiali obtinuit, et ab imperatore super omnes alios praelatos (tam Nestorianos quam Indianos) maximo honore habebatur.

Sic Ioannes noster *primus* inter apostolos Medii Aevi, et *solus* sine alio socio, munus incepit apostolicum in imperio Sinensi.

Anno primo sui ingressus in civitatem *Kambelek* (scil. 1294), Ioannes ad fidem Catholicam reduxit nestorianum regem *Georgium,* qui in longinqua regione Sinarum *Tenduk* dicta (20 dierum spatio a Kambalek) in tribubus *Ongütorum* nestorianorum regnabat, et quorum subditorum magnam partem Rex ipse ad unitatem Ecclesiae Romanae postea conduxit. Idem Rex, qui ob devotionem ordines minores ecclesiasticos a fratre Ioanne susceperat, solebat ipsi Ioanni celebranti adsistere, vestibus sacris indutus qua clericus. Praeterea, in signum sincerae pietatis, idem Rex *Georgius,* in sua regali civitate (quae *Tokhto* esse creditur) in honorem SS. Trinitatis munificentissimam construxit ecclesiam, quamque ecclesiam, in honorem Domini Papae, *Ecclesiam Romanam* vocari voluit. Hic Rex *Georgius,* anno 1296, in bello Mongoliae periit, filium relinquens puerum novem annorum, quem *Ioannem* vocaverat in honorem fratris Ioannis. Frater Ioannes noster, vivente Rege, cum illo convenerat totum Divi-

num Officium latinum in litteram et linguam patriam transferre, et per totam terram regni sui extendere. Etiam, eo vivente, in ecclesia praedicta, quam idem Rex construxerat, « celebrabatur Missa secundum ritum latinum in lictera et lingua illa (tartarica, seu cumanica) tam verba Canonis quam Praefationis ». Idcirco Ioannes noster iam verterat in lingua illa et littera tartarorum totum *Novum Testamentum* et *Psalterium* et transcribi fecit in pulcherrima littera eorum. Mortuo Rege, fratres eius perfidi in pristinum errorem nestorianorum reduxerunt populum; verumtamen, Ioannes noster in Deo nixus, spem suam posuit in filio defuncti regis haerede: « spero in Deo, quod iste immitabitur vestigia patris sui » (1).

Iam anno 1299 primam ecclesiam cum tribus campanis et cum adiectis domibus absolverat in civitate *Kambalek,* quam ecclesiam sex picturis decoravit ex Veteri et Novo Testamento desumptis argu-

(1) Vide infra Epistolam I fr. Ioannis.

mentis, subiectisque inscriptionibus in litteris *latinis, cumanicis* (seu turcicis) et *persicis* in bonum exemplum et in doctrinam rudium et infidelium.

Haec omnia solus, sine aliquo socio, Ioannes noster hucusque patraverat, et vix post annos undecim (anno 1303) socium obtinuit unum, fratrem scilicet *Arnoldum Alemannum* de Provincia Coloniae, qui ei in adiutorium sui apostolatus feliciter advenerat.

In principio mensis augusti anni 1305, Ioannes coepit alterum aedificare conventum ante ostium palatii Imperatoris situm, tamque prope, quod inter Curiam imperatoris et locum sola interesset via, et distaret per iactum lapidis a porta Magni Chanis, ita ut « in camera sua Imperator audire potest voces nostras ». Locum, ait Ioannes, sibi amore Dei dederat « Dominus *Petrus de Lucalongo* fidelis christianus et magnus mercator, qui fuit socius meus de Thaurisio ». In festo S. Francisci, conventum hunc expleverat muris circumdatum, cum do-

mibus, officinis planis et parvo oratorio pro tempore, quod capax erat ducentarum personarum, cum ob hiemem ecclesiam perficere non pótuerit, quam postea perfecit magnificentissimam.

Ad hunc usque annum, scilicet 1305, ut ipse Ioannes testatur, sex milia infidelium in civitate *Kambalek* baptizaverat, et ultra triginta milia baptizasset nisi haereticorum Nestorianorum obstitissent persecutiones et calumniae.

Quadraginta paganorum pueros quos a barbara servitute pecunia redemerat et baptizaverat, ita egregie in fide et litteris et cantu ecclesiastico instruxit, ut et ipse tartarus Imperator, quos a vicina Curia audire poterat psallentes, valde delectaretur in cantu eorum, quosque saepe saepius ad palatium suum cum fratribus invitabat, ut sibi et suis ministris gaudium et laetitiam darent musico concentu latinorum.

Haec omnia, quae de eius itineribus ac per eum in Oriente gestis, ordine chronologico hucusque narrare placuit (ab

an. scil. 1291 ad an. 1306), omnia haec ex duabus eiusdem Ioannis de Monte Corvino epistolis desumpsimus diligenter, quasque epistolas infra integras dabimus ex coaevo codice et scriptore fidelissimo.

Primam Ioannes epistolam dedit ex civitate *Kambelek* hoc anno Domini MCCCV die VIII mensis ianuarii, quamque directam scimus: « Patri Vicario et Fratribus provinciae Gazariae » (in Crimea).

Secundam epistolam, ex eodem loco, post annum scripsit, anno scilicet MCCCVI in dominica Quinquagesimae mensis februarii (scilicet 13 feb.) et direxit Fratribus Minoribus et Praedicatoribus in provincia Persarum manentibus (scilicet in *Thaurisio*).

In hac secunda epistola, anni 1306, adiecit Ioannes, quod ad eum venerunt solemnes Nuntii de *Aethyopia* (Aethyopiam intellige inter Gangem et Godaveri flumina sitam), rogantes ut illuc pergeret ad praedicandum vel mitteret bonos praedicatores; quod, deficientibus fratribus, facere non potuit. Subdit idem Ioannes, quod post festum Omnium Sanctorum,

anni 1305, sacro baptismate regeneravit cccc infideles.

Tandem praeclara haec magnalia Dei per apostolicum fratrem Iohannem a Monte Corvino in Sinis patrata, ad aures Summi Pontificis pervenerunt per memoratas epistolas eiusdem fratris Ioannis, quas ad Curiam Romanam detulit celeberrimus ille beatus frater *Thomas a Tolentino* magnus item apostolus Orientis et demum martyr pro nomine Christi in Tana Indiae (1321).

Quo enim modo nuntium ad Curiam pervenerit, et quomodo Pontifex fratrem Ioannem primum Archiepiscopum Kambaliensem elegerit cum aliis septem episcopis suffraganeis, libet haec omnia referre verbis fidelissimi Chronistae nostri Ioannis Elemosina saepe memorati:

[Reditus Fr. Thomae de Tolentino a Tartaria (Persidis) in Italiam et electio Archiepiscopi Cambalech et septem suffraganeorum: 23 iulii 1307].

« Frater vero *Thomas de Tolentino* a Tartaria rediens cum istis epistolis (qui et ipse frater Minor et predicator devo-

tus, iam per annos plures predicaverat inter infideles) veniens in Italiam, accessit ad curiam Romanam, ultra montes in Vaschoniam, ubi Papa *Clemens* morabatur cum Cardinalibus; prius hec Dei magnalia fratri *Iohanni de Muro*, olim Generali Ministro fratrum Minorum et tunc Cardinali, nunciavit; et frater *Iohannes* domino Pape et Cardinalibus retulit. Et advocatus frater *Thomas* in concistorium coram domino Papa et Cardinalibus et Prelatis sermone preclaro ista Dei nostri ammiranda opera sic bene incepta et prosequta per fratrem *Iohannem de Monte Corvino* et alios fratres, recitavit, rogans dominum Papam et Cardinales, ut epistolam darent ut quatenus hoc opus Dei augeretur et perficeretur.

« *De vii fratribus Episcopis.* — Et dominus Papa *Clemens,* gaudio magno repletus cum Cardinalibus de ista maxima commutatione dextere Excelsi, avidus et sollicitus, ut tam sanctum opus Dei prosequeretur, fratri *Gunsalvo* Generali Ministro fratrum Minorum imposuit, ut statim cum consilio fratrum eligeret VII bonos fratres Minores, ornatos virtutibus, et approbatos sensu, et eruditos in scripturis divinis, et ipsos fratres auctoritate sua Episcopos ordinari et conse-

crari faceret et illos transmitteret in Tartariam cum privilegiis domini Pape, ut *fratrem Iohannem* in Archiepiscopum et Patriarcham totius Orientis ordinarent et consecrarent; et ipsi VII Episcopi, sicut suffraganei, illi astarent in precipuis civitatibus magnis iuxta *Cambaliech* constituti Episcopi; ut sicut Deus per sanctum Franciscum latinam, Ecclesiam maximopere illuminaverat verbo pariter et exemplo, et ad salutem multa milia animarum reduxerat, ita per discipulos eius populos Orientis infideles et christianos scismaticos et errantes, ad fidem Christianam reduceret, et lumen fidei, quod per ipsos fratres Minores Ihesus Christus in regnis Tartarorum accenderat, ita per eos continue augeretur et conservaretur, ne possit extingui.

« Electi ergo fuerunt septem boni fratres a Generali Ministro in Episcopos, scilicet duo de Provincia sancti Francisci, que est caput Ordinis: frater *Andreas* lector *de Perusio,* et frater *Peregrinus de Castello,* frater *Nicolaus de Apulia,* Minister olim Provincie sancti Francisci, frater *Guilielmus de Franchya,* et alii tres (1) fratres Episcopi de aliis Provin-

(1) Scilicet: Gerardus Albuini, Andreuc-

ciis Ordinis: et cum privilegiis Domini Pape misit illos Generalis Minister in *Tartariam interiorem,* et in *Indiam* ad fratrem Iohannem » (1).

Licet, mala sorte, monumenta et bullas aliquas electionis et privilegiorum archiepiscopi Ioannis et suffraganeorum suorum, Waddingus noster (2) comperire non potuit (deperdito, ut ait, libro seu Regesto anni secundi pontificatus Clementis V), extant tamen bullae electionis eorundem datae Pictavis die 23 iulii 1307, quarum una concedit, ut quivis unus de dictis suffraganeis episcopis, Ioanni de Monte Corvino in adiutorium deputatis, munus consecrationis sibi impendere palliumque consignare possit (3). Praeter citatas bullas

---

cius de Assisio et Ulricus de Seyfridsdorf, de quibus omnibus vide in nostra *Biblioteca,* t. III, pp. 104-108.

(1) Ex *Chronica* Fr. Elemosinae in nostra *Biblioteca,* t. III, pp. 93-94.

(2) *Annales,* ad an. 1307 n. 9.

(3) Eubel, *Bullar. Franciscanum,* tom. V, pp. 37-39.

electionis et pallii assignationis, quaedam alia privilegia apostolica summatim exscripsit et tradidit saepe citatus chronographus frater Ioannes Elemosina hisce verbis :

« Concedit autem dominus papa Clemens fratri Iohanni in privilegio seu dicta bulla (1), ut ipse, factus Archiepiscopus, episcopos instituere et consecrare possit, et sacerdotes et clericos in civitatibus et provinciis orientalibus; et omnem auctoritatem suam concedit sibi, ut, sicut dominus Papa in occidentali et latina Ecclesia presidet summus pontifex super omnes episcopos et prelatos uti Petri vicarius, ita et frater Iohannes summus archiepiscopus presideat super omnes episcopos et prelatos in partibus illis, hoc pacto et titulo, ut semper se subditum Romano Pontifici confiteatur et ab eo usum palii recognoscat, tam ipse frater Iohannes quam omnes archiepiscopi Cambalienses futuri per secula Romane Ecclesie subia-

---

(1) *Rex Regum,* 23 iul. 1307, verum mutila in Eubel, *Bullar. Franciscanum,* t. V, p. 37, n. 85.

ceant in his pactis. Commendat etiam dominus papa fratrem Iohannem, quod ecclesias construxerit et picturas Novi et Veteris testamenti in eis depingi fecerit in testimonium mirabilium operum Dei nostri, ut rudes populi, qui nunquam ista audiverunt, nec sciverunt, per picturas ipsas discant Deum intelligere et admiranda opera eius. Et ut frater Iohannes Archiepiscopus et alii fratres in hoc opere divino melius prepararentur, dominus papa Clemens misit epistolam honorificam hec in verba ad Regem Tartarorum: Clemens etc. *Splendor Patris* etc. (1).

Tandem, Deo benedicente opus suum, « isti septem fratres episcopi et alii fratres cum eis *quamplurimi*, divino repleti spiritu, prompti ad obediendum pro nomine Domini Ihesu Christi, licentia et benedictione accepta, profecti sunt predicando ubique, Domino cooperante, fructum plurimum faciendo animarum » (2).

---

(1) Ut in Waddingo, ad an. 1307, n. 11, sed mutila in fine; deest in *Bullario* P. Eubel.

(2) *Chron.* fr. Ioannis Elemosinae, loco cit. pag. 95.

Profecti igitur eo ipso anno 1307, poterant, per tutiorem viam *Persidis* et *Turkestan*, Sinense imperium ingredi sequenti anno 1308, vel 1309 (1). Utcumque sit, eorum tres *Gerardus*, *Peregrinus* et *Andreas* feliciter Kambalek pervenerunt et Ioannem in archiepiscopum consecrarunt. Tres tamen alii, scilicet: fr. *Nicolaus de Bantia*, fr. *Andreuccius de Assisio* et fr. *Ulricus Alemannus* « mortui fuerunt in ingressu *Indiae Inferioris*, in terra quadam calidissima, ubi plures fratres alii mortui sunt et sepulti » (2). Hinc Summus Pontifex, Clemens V, anno quarto post discessum praedictorum episcoporum, tres alios suffraganeos archiepiscopi Cambaliensis constituit (13 feb. 1311): fratrem *Petrum de Florentia,* qui dein quartus episcopus Zaytonensis in Sinis fuit; fratrem *Thomam* ignotae patriae, et famo-

---

(1) Cfr. *Biblioteca* cit. t. III p. 306 not. 2.

(2) Ita in epistola fr. Andreae de Perusio an. 1326, ex cod. lat. 5006 Parisiensi edita in cit. nostra *Biblioteca,* t. III p. 308.

sum fratrem *Hieronymum* Catalanum, qui primus episcopatum Caffensem obtinuit (1).

Quae vero et quanta gesta patraverint suffraganei isti fratris Ioannis de Monte Corvino, et ubinam gentium Christi fidem praedicaverint, aliis narranda relinquimus, ne a praefixo limite egrediamur.

Cum ergo Ioannes noster a Monte Corvino, talia pro Ecclesia Dei et in dilatanda fide Christi in *India* primum, et in *Sinis* demum peregerit; cum multas ecclesias statuerit et erexerit usque *Armalek* (Kulgia), usque ad *Indos* apud Sanctum Thomam (ad Madras); cum in civitate imperiali *Kambalek* (Peking) tres conventus pro fratribus cum pluribus ecclesiis, et sedem archiepiscopalem cum cathedrali munificentissima construxerit; postquam alterum conventum cum ecclesia in civitate *Jansu* (Yang-tceu), et duos

---

(1) Cfr. Eubel, *Bullar. Francisc.* t. V, p. 74. num. 176 nota 7.

item conventus cum tribus ecclesiis in magno emporio *Zayton* (Tceu-tung) fundaverit, et sedem inibi episcopalem instituerit, ubi successive episcopi fuere praedicti quatuor suffraganei: *Gerardus*, *Peregrinus*, *Andreas* et *Petrus*; cum ergo haec et alia stupenda opera Apostolus Christi perfecisset, et plura milia infidelium ad fidem perduxisset, vir sanctus laboribus tandem et itineribus multis attritus, et senio confectus, annum agens octogesimum et unum, plenus meritis ex hac vita migravit, recepturus mercedem a Domino, anno MCCCXXVIII, quo hodie, currente anno 1928, sextum expletum saeculum a morte eius commemoramus.

Fr. Ioannes a Cora, insignis missionarius ex praeclaro Ordine FF. Praedicatorum (dein Archiepiscopus Sultaniensis), cum circa annum 1328, paulo post mortem fratris Ioannis a Monte Corvino, ad Kambaliensem civitatem advenisset, testatur quod ad funerum solemnia archiepiscopi Ioannis immensa multitudo tum

christianorum tum infidelium adstiterit devotissime. Pagani, in signum doloris et luctus, vestimenta sua lacerabant; christiani vero, devotionis gratia, vestes sacras defuncti praesulis inter se dividebant. Sepultum, ait, sanctum praesulem maximis honoribus, et sepulcrum eius in magna esse populorum veneratione (1).

---

(1) Vide infra Relationem fr. Ioan. a Cora. Docum. IV.

DOCUMENTA

Hic, quasi in Appendice, et in *commodum* studiosorum, praestat addere *quatuor* praecipua monumenta historica quae nostrum fratrem Ioannem a Monte Corvino directe respiciunt.

I. - Primo loco damus duas *Epistolas* eiusdem fratris Ioannis a Monte Corvino, scriptas anno 1305 et 1306 ex civitate Kambalek (Pekino), quasque nos fideliter ex autographo codice coaevi Fr. Ioannis Elemosina O. F. M. transcripsimus et edidimus in nostra *Biblioteca,* t. III pp. 86-93: cfr. t. II p. 116.

II. - Secundo loco damus *Relationem* quandam, quam frater Arnoldus Alemanus, socius fratris Ioannis de Monte Corvino, in Germaniam transmisit, et chronographus Vitoduranus suo arbitrio transumpsit et in suis chronicis inseruit. (Cfr. nostram *Biblioteca,* t. III pp. 160-161).

III. - Tertio loco capitulum praebemus integrum ex libro B. fratris Odorici de Portu Naonis, qui per integros tres annos Pekini mansit (c. 1323-26) cum archiepiscopo fratre Ioanne, et refert de reverentia Magni Kanis erga Fratres Minores et sanctam Crucem Christi. Textum habes ex nova editione libri fratris Odorici qui ad fidem codicum in lucem cito prodibit cura P. Anastasii Van den Wyngaert O. F. M. in *Sinica Franciscana,* t. I, ad Claras Aquas 1928.

IV. - Quarto demum loco habes *Relationem* fratris Ioannis a Cora Ord. Praed. (dein archiepiscopi Sultaniensis) qui circa an. 1328 adfuit Pekini, et multa de morte, sepultura et de gestis fr. Ioannis de Monte Corvino et suorum Fratrum Minorum fideliter refert.

I.

De nova ecclesia in Tartaria fundata et plantata (per fr. Ioannem de Monte Corvino)

Tempore etiam huius Clementis pape (V^{ti}), felix novitas et bona nuntiatio ab interiori *Yndia* et regnis orientalibus, in partibus occidentalibus et in Ytaliam venit, et latinorum corda et fratrum Minorum et Predicatorum,

clericorum et religiosorum, principum et prelatorum corda, gaudio et ammiratione replevit.

Nam frater *Yohannes de Monte Corvino* de Ordine fratrum Minorum, b. Francisci devotus immitator, in se ipso rigidus et severus, et in verbo Dei docendo privilegiis gratiosis fultus, ad predicandos infideles iter aggressus, regnum *Persarum* intravit, et in civitate maxima Thaurisio aliquandiu commoratus cum fratribus Minoribus et Predicatoribus, qui ibi in uno loco morabantur, fidem Christi gentibus predicantes et baptizantes, ipse frater Yohannes cum eis per dies plurimos stetit, deinde in *Yndiam* penetravit. Cuius iter et sanctum opus in ista sua epistola declaratur, que talis est:

Epistola (1ª) fratris Iohannis
(de Monte Corvino legati Pape - 8 ian. 1305).

Ego frater *Iohannes de Monte Corvino* de Ordine fratrum Minorum, recessi de Thaurisio civitate Persarum anno Domini MCCLXXXXI et intravi in *Indiam,* et fui in *contrata Indie* ad Ecclesiam Sancti Thome Apostoli *mensibus xiii.* Et ibi baptizavi circa centum personas in diversis locis; et socius fuit vie mee *frater Nicholaus de Pistorio* de Ordine fratrum Predicatorum, qui mortuus est ibi et sepultus in

eadem ecclesia. Et ego ulterius procedens perveni in *Katay* regnum imperatoris Tartarorum, qui dicitur *Magnus Cham;* ipsum vero imperatorem cum litteris Domini Pape ad fidem Domini nostri Ihesu Christi catholicam invitavi. Qui tamen nimis inveteratus est in ydolatria, sed multa beneficia prestat christianis; et ego sum apud eum iam est *annus duodecimus*. Nestoriani quidem christianitatis titulum preferentes, sed a christiana religione plurimum deviantes, tantum invaluerunt in partibus istis, quod non permiserunt quempiam christianum alterius ritus habere quantumlibet parvum oratorium, nec aliam quam Nestorianam publicare doctrinam. Ad has siquidem terras, nec aliquis Apostolus, nec Apostolorum discipulus pervenit, et ideo prefati Nestoriani per se et per alios, pecunia corruptos, persecuciones mihi gravissimas intulerunt, asserentes quod non essem missus a domino Papa, sed essem explorator magnus et dedementator hominum; et facto aliquo intervallo temporis, produxerunt alios falsos testes dicentes, quod alius nuntius fuerit missus, deferens Imperatori maximum thesaurum, et quod ego illum occiderim in *India,* et abstulerim que portabat; et duravit hec machynatio circiter quinque

annos, ita quod sepe ad iudicium fui tractus cum ignominia mortis. Tandem per quorundam confessionem, Deo disponente, Imperator cognovit meam innocentiam et malitiam emulorum, et ipsos cum uxoribus et liberis exilio relegavit.

Ego vero solus in hac peregrinatione fui sine confessione *annis undecim,* donec venit ad me frater *Arnoldus Alamannus* de provincia Colonie, nunc est *annus secundus.* Unam ecclesiam edificavi in civitate *Cambaliech,* ubi est precipua residentia regis, quam ante sex annos complevi, ubi etiam feci campanile, et ibi tres campanas posui. Battizzavi etiam ibidem, ut existimo usque hodie, circa sex milia personarum, et nisi fuissent supradicte infamationes battizzassem ultra XXX milia; et sum frequenter in battizzando.

Item emi successive XL pueros, filios paganorum etatis infra VII et XI annorum, qui nullam adhuc cognoscebant legem, et battizzavi eos, et informavi eos licteris latinis et ritu nostro, et scripsi pro eis psalteria, cum hymnariis XXX et duo Breviaria, ex quibus XI pueri iam sciunt officium nostrum, et tenent chorum et edomadas, sicut in conventibus fit, sive presens (sim), sive non; et plures ex eis scri-

bunt psalteria, et alia opportuna; et dominus Imperator delectatur multum in cantu eorum. Campanas ad omnes horas pulso, et cum conventu infantium et lactantium divinum officium facio, et secundum usum cantamus, quia notatum officium non habemus.

De bono Rege Georgio. Quidam rex illius regionis *(Georgius)* de septa Nestorianorum christianorum, qui erat de genere illius magni Regis, qui dictus fuit *presbiter Iohannes de India,* primo anno, quo huc veni, mihi adhesit, et ad veritatem vere fidei catholice per me conversus, minores ordines suscepit mihique celebranti sacris vestibus indutus ministravit, ita quod alii Nestoriani ipsum de apostasia accusaverunt: tamen ipse magnam populi sui partem ad veram fidem catholicam adduxit, et ecclesiam pulchram secundum regiam magnificentiam construxit ad honorem Dei nostri, sancte Trinitatis et Domini Pape, et nominavit vocans eam *Ecclesiam Romanam.* Qui Rex *Georgius* ante VI annos migravit ad Dominum verus christianus, relicto filio herede in cunabulis, qui nunc est annorum novem. Fratres tamen ipsius Regis *Georgii,* cum essent perfidi in erroribus Nestorii, omnes quos ille converterat, post regis obitum subverterunt, ad

scisma pristinum reducendo. Et quia ego fui solus, nec potui recedere ab Imperatore Chaam, ire non potui ad illam ecclesiam, que distat ad xx dietas: tamen si venerint aliqui boni coadiutores et cooperatores, spero in Deo, quod totum poterit reformari; nam adhuc habeo privilegium predicti Regis *Georgii* defuncti.

Iterum dico, si non fuissent infamationes supradicte, magnus fructus fuisset secutus, si habuissem etiam duos vel tres socios coadiutores meos, et forte Imperator Chaam fuisset battizzatus. Rogo ut tales fratres veniant, si venire aliqui volunt, qui studeant se in exemplum dare, et non suas fimbrias magnificare.

De via notifico, quod per terram *Cothay* Imperatoris Aquilonarium Tartarorum est via brevior et securior; ita quod cum nunciis infra v vel vi menses poterunt pervenire. Via autem alia est longissima et periculosissima, habens duas navigationes, quarum prima est secundum distantiam inter *Achon* et provinciam *Provincie;* alia vero est secundum distantiam inter *Achon* et *Angliam;* et posset contingere, quod in biennio vix perficerent viam illam. Quia prima via secura non fuit a multo tempore, propter guerras, ideo sunt *xii anni,*

quod de Curia Romana et de nostro Ordine et statu Occidentis non suscepi nova.

Iam sunt duo anni, quod venit quidam medicus cyrugicus Lombardus, qui de Romana Curia, et nostro Ordine, et statu Occidentis, istas partes incredibilibus blasphemiis infecit, propter quod multum desidero percepire veritatem.

Rogo fratres, ad quos hec littera pervenerit, ut ita studeant, quod eius continentia possit pervenire ad notitiam domini Pape et Cardinalium et Procuratoris Ordinis nostri in Curia Romana. Ministro Generali Ordinis nostri supplico pro Antiphonario et Legendis Sanctorum, Graduali et Psalterio cum nota, pro exemplari, quia non habeo nisi Breviarium portatile cum lectionibus brevibus, et parvum Missale; si habuero esemplar, pueri predicti scribent.

Modo sum in actu edificandi aliam ecclesiam, ad dividendum pueros in pluribus locis. Ego iam senui, et canus factus sum potius laboribus et tribulationibus quam etate; sum enim annorum quinquaginta octo. Didici competenter linguam et litteram Tartaricham, que lingua usualis Tartarorum (est), et iam transtuli in lingua illa et littera totum novum Testamentum et Psalterium, que feci scribi in pulcerrima littera eorum, et teneo et lego, et

predico in patenti et manifesto quasi in testimonium legis Christi. Et tractavi cum supradicto Rege *Georgio,* si vixisset, totum Officium latinum transferre, ut per totam terram cantaretur in dominio suo; et eo vivente, in ecclesia sua celebrabatur missa secundum ritum latinum in littera et lingua illa, tam verba canonis, quam prefactiones (*sic*). Et filius dicti Regis vocatur *Iohannes* propter nomen meum, et spero in Deo, quod ipse imitabitur vestigia patris sui. Secundum vero audita et visa credo, quod nullus Rex nec Princeps in mundo possit equari domino Chaam in latitudine terre, in multitudine populi et magnitudine divitiarum. Finis. Data in civitate Cambaliech Regni Katay, anno Dni MCCCV, die VIII mensis ianuarii.

Epistola (2ª) fratris Iohannis legati Pape in Tartaria archiepiscopi. (13 feb. 1306).

Reverendo in Christo fri. fri. Vicario Generalis Ministri Ordinis fratrum Minorum, et Vicario fratrum et magistro Ordinis Predicatorum, et fratribus Ordinum utriusque in provincia Persarum manentibus: frater Iohannes de Monte Corvino de Ordine fratrum Minorum, inutilis Christi servus, predicator fidei sacre christiane, legatus et nuncius Sedis Apostolice

Romane, salutem et caritatem in eo qui est vera caritas et salus omnium.

Ordo exigit caritatis, ut longe lateque distantes, et maxime qui peregrinantur pro lege Christi, cum revelata facie se invicem videre non possunt, saltem verbis et litteris consolentur. Cogitavi vos non sine causa mirari, quod tot annis in provincia tam longinqua consistens, numquam meas litteras recipistis. Sed miratus sum non minus quod numquam, nisi anno isto, recepi ab aliquo fratre vel amico litteram vel salutationem, nec videtur quod aliquis recordatus fuerit mei, et maxime quando audivi, quod rumores ad vos pervenissent, quod ego mortuus essem. Nunc autem notifico vobis, quod anno preterito in principio Ianuarii, per quendam amicum nostrum, qui fuit ex sotiis domini *Cothay Canis* qui venerunt ad Dominum *Chanem de Cathay,* ego misi litteras Patri Vicario et Fratribus provincie *Gazzarie* de statu et conditione mea, in paucis verbis, in quibus litteris rogavi eundem Vicarium, quod exempla illarum vobis transmitteret, et iam intellexi per bonas personas, que nunc pervenerunt cum nunciis predicti domini *Cothay* ad dominum *Chanem de Cathay,* quod mee littere ad vos pervenerint,

et quod ille idem nuncius, qui portavit litteras meas, postmodum de *Sara* civitate venit *Thaurisium;* propter quod de factis et contentis in illis litteris cogitavi non facere mentionem, nec iterato scribere. Et primum est de persequtione Nestorianorum. Secundum de ecclesia et domibus completis. Sex picturas feci fieri veteris et novi Testamenti ad doctrinam rudium, et scripta (*sic*) sunt litteris Latinis, Tursicis et Persicis, ut omnes lingue legere valeant. Tertium est, quod ex pueris, quos emi et battizzavi, aliqui migraverunt ad Dominum. Quartum est quod a tempore, quo fui in Tartaria in *Kathay,* battizzavi plura millia.

In isto autem anno Domini MCCCV ego incepi unum alium locum novum coram hostio domini Chanis, et inter curiam et locum nostrum via sola est, distans per iactum lapidis a porta domini Chanis. Dominus *Petrus de Lucalongo,* fidelis christianus, et magnus mercator, qui fuit sotius meus de Thaurisio, ipse emit terram pro loco quem dixi, et dedit mihi amore Dei. Et divina gratia operante, (puto) quia utilior et congruentior locus haberi non possit in toto imperio domini Chanis pro ecclesia catholica construenda. In principio Augusti locum accepi, et assistentibus benefacto-

ribus et iuvantibus, usque ad festum sancti Francisci fuit completus cum muro in circuitu, et domibus, et officinis planis (*sic*) et oratorio, quod est capax ducentarum personarum. Sed propter hyemem ecclesiam perficere non potui, sed habeo ligna congregata in domo, et per misericordiam Dei perficiam in estate. Dico vobis quod mirum quoddam visum est omnibus advenientibus de civitate et aliunde, quia non habebant adhuc rumores ex hoc, et videntes locum de novo factum, et crucem rubeam desuper in sublimi positam.

Et nos in oratorio nostro secundum usum officium cantamus solemniter, quanvis notas non habemus. Dominus Chaam in camera sua potest audire voces nostras; et hoc mirabile factum longe lateque divulgatum est inter gentes, et pro magno erit sicut disponet et adimplebit divina clementia.

A prima ecclesia et loco nostro usque ad ecclesiam secundam, quam aedificavi postea, sunt duo miliaria et dimidium intra civitatem, que multum est magna. Et pueros divisi et posui partem in prima, et partem in secunda constitui, et faciunt officium per seipsos. Sed ego sicut Cappellanus per ebdomadas celebro in utraque, quia pueri non sunt sacerdotes.

De magno imperio Tartarorum. De regionibus Orientalibus vobis significo, et precipue de Imperio Domini Chaanis, quod non sit ei maior (*sic*) in mundo. Et ego habeo in Curia sua locum, et viam ordinariam intrandi et sedendi sicut Legatus domini Pape, et honorat me super omnes alios prelatos, quocumque nomine censeantur. Et licet ipse dominus Chaam audierit multa de curia Romana, et statu Latinorum, desiderat tamen multum videre nuncios venientes de partibus illis.

In istis partibus sunt multe secte ydolatrarum diversa credentium, et sunt multi religiosi de diversis septis, diversos habitus habentes, et sunt multo maioris austeritatis et observantie, quam religiosi latini.

De *India* maiorem partem ego vidi, et quesivi de aliis partibus Indie; et esset magnus profectus predicare eis fidem Christi, si fratres venirent. Sed non essent mittendi nisi viri solidissimi. Nam regiones sunt pulcerime, plene aromatibus et lapidibus pretiosis; sed de fructibus nostris parum habent, et propter magnam temperantiam et caliditatem aeris et regionis, nudi vadunt, modico cooperimento verenda cooperientes, et propterea artibus nostris sartorum, et cordonum et artificiis non

indigent. Ibi est semper estas, et numquam hyemps. Battizzavi ibi circa centum personas.

Deinde chronographus Elemosina compendiando epistolam sic pergit:

In eadam epistola dicit ipse frater Iohannes, quod solempnes nuntii venerunt ad eum de Aethyopia rogantes ut illuc pergeret ad predicandum, vel mitteret predicatores bonos. Quia a tempore beati Mathei Evangeliste, et discipulorum eius, predicatores non habuerunt, qui eos instruerent in fide Christi, et multum desiderant ad veram Christi fidem pervenire. Et si fratres ibi (*sic*) mitterentur, omnes converterentur ad Christum, et fierent veri christiani. Nam sunt plurimi in Oriente, qui solo nomine christiani dicuntur, et Christum credunt, sed de Scripturis et Sanctorum doctrinis aliud nesciunt, simpliciter viventes, cum non habeant predicatores et doctores.

Item dicit frater Iohannes, quod post festum Omnium Sanctorum battizzavit CCCC personas: et quia ipse audivit, quod plures fratres utriusque Ordinis ad *Persas,* et *Gazzariam* accesserunt, ortantes (*sic*) eos ad predicandum ferventer fidem domini nostri Ihesu Christi, et ad faciendum fructum animarum.

Data dicebat littera ipsa in Cambaliech civitate regni Kathay, anno domini MCCCVI in Dominica Quinquagesima mensis februarii.

II.

Compendiosa Relatio Fr. Arnoldi de Alemania socii Fr. Ioannis de Monte Corvino.

Paucis annis evolutis ante praedicta (1), quidam frater Ordinis S. Francisci, oriundus de partibus inferioris Alemaniae, peregre profectus ad partes infidelium, ad evangelizandum eis Christum (cuius epistolam ab eo directam suo Generali de Vicaria Aquilonari legi, latam et diffusam), laudabiliter ibi gessit, fructum animarum pinguem faciendo. Nam ut ex epistola sua elicui et excerpsi, multam gentem in imperio *Kanis Magni* tartarorum imperatoris, fonte baptismatis et verbo salutifero praedicationis ad fidem Christi convertit; immo maximum fructum animarum fecisset, si Nestoriani haeretici, sive falsi christiani, illic multiplicati, ipsi non obstitissent. Nam illi felicibus eorum (2) actibus invidentes, ipsi pro viribus adversabantur. Interdum aliquos per calum-

(1) Scilicet antea egit: de quatuor FF. Minoribus martirizatis in Tana Indiae an. 1321.

(2) *Eorum*, scilicet *fidelium* conversorum.

nias, detractiones falsas, adulationes, de maioribus natu illius terrae contra eum concitabant, flagellationes, incarcerationes, et varias castigationes apud potentes per plures dies et annos procurabant ei nefarie fieri: quae omnia patienter pro Christo sustinuit.

Quandoque *Canis Magnus,* qui eum intime dilexerat, percipiens eum innocenter poenis adstrictum, turris vel arctae custodiae mancipatum, clementer eripuit ipsum a captivitate, et a cunctis tribulationibus suis, libertati eum restituendo, poenas graves eis minando, qui eum de caetero verbis vel factis laederent.

Aliquot annis in plagis Orientalibus et Aquilonaribus degens, postquam ipsas intraverat, forte VIII vel IX [annis], tam perfecte idioma terrae illius vel gentis didicerat, quod potenter et audacter in eo seminare poterat verbum Dei. Tantum etiam praedicationibus suis in populo fructificavit et profecit, homines ad Christi fidem trahendo, quod frequenter, infra spatium unius mensis vel hebdomadae, multa millia hominum ad eius baptismum convolarunt.

In locis ubi praedicaverat, ut fatetur in epistola, ante nunquam Evangelium Christi fuerat praedicatum: quamquam enim de beato Thoma

legatur, quod per eum *India,* quae sibi in sorte praedicationis advenerat, in magna parte, et per duos pueros Romanos, tempore Silvestri papae et Constantini imperatoris Romani, ut legitur in ecclesiastica historia, in Christum crediderit; tamen, iuxta verbum suum, ad loca ubi ipse evangelizavit Christum, nullus Katholicus ante ipsum fundamenta vel saltem lapidem primarium fidei orthodoxae qui poneret, venit. Nulla insitio, immo nec plantula fidei Apostolicae ante eum illic pullulavit; sed ipse primus large ibi semen christianae serens doctrinae in terram bonam, vomere praedicationis et compunctionis scissam, uberem messem credentium, sive ad Christum conversorum messuit.

Diligens enim et indefessus quia fuerat operarius in vinea Christi et in agro Dominico, manipulos non paucorum conversorum, sed plurimorum millium reportavit. *Presbiterum* etiam *Iohannem* (1), regem opulentum et potentem, de quo plura yperbolice in uno libello apud nos leguntur, ad Christum, et per eum totam suam gentem, convertit. Sed heu!

---

(1) Intellige: *Regem Georgium,* de quo in praecedenti epistola Fr. Ioannis de Monte Corvino anni 1305.

post mortem suam, disciplinae christianae perniciosam, ad vomitum paganismi compulsa rediit, per successorem suum ydolatram pessimum et tyrannum; quas revocare oves errantes et perditas ad caulas seu ovile fidei, frater memoratus non praevaluit, quia nimis ab illo regno elongatus, degens in ditione *Canis Magni* domini dominantium, ultra xx vel xxx dietas.

Hic saepe dictus frater XL pueros terrigenos emit, litterasque latinas et grammaticam eos docuit; tandem vero post lactis et pulmenti pueris congruam refectionem ipsis ministratam, solidum cibum ipsis praebuit, eos in musica et in sacra pagina imbuendo, horas quoque canonicas et cantum adeo perfecte didicerunt, quod eas alternatim in choro psallere egregie noverunt. Quidam etiam eorum, ingeniosi et vociferati prae aliis existentes, chorum gloriose rexerunt. In cantu ipsorum *Canis Magnus* summe delectabatur: unde praedictus frater, ipsorum magister et instructor, frequenter vocatus ab ipso fuit, ut assumptis secum quatuor vel sex, solatium sibi per cantum ipsorum faceret; qui sibi libenti animo obtemperans, et in hoc satisfacere et complacere affectans, alternatim ex pueris praefactis quatuor, sex

vel octo secum assumptis, coram *Cane Magno* et suis satrapis, in aula regia comparens pluries, per suavem melodiam ipsorum, sibi gaudium et laetitiam non modicam impendebat, eum cum suis taliter intime demulcendo et mirabiliter recreando.

Hanc ob causam frater ille, et propter vitae suae simplicem puritatem, et sanctam laudabilemque conversationem, tantam gratiam invenit in oculis principis saepe dicti, quod eum propitium et singularem amicum in cunctis suis necessitatibus gratiosissime sentiebat.

Ex *Chronica* Fr. Ioannis Vitodurani O. F. M. in nostra cit. *Biblioteca,* t. III pp. 160-161.

III.

De reverentia quam magnus Canis fecit sanctissimo signo crucis.

Unum referam de magno Cane quod vidi. Consuetudo est in illis partibus quod quando predictus dominus per illam contratam transit, quod homines ante hostium domorum suarum ignem accendunt et aromata ponunt ac faciunt fumum, ut domino suo odorem emittant transeunti, et multi homines obviam sibi vadunt.

Dum autem semel veniret in Cambalec, et de adventu suo certitudinaliter diceretur, unus noster Episcopus et aliqui nostri fratres Minores et ego ivimus sibi obviam bene per duas dietas Et dum appropinquaremus ad eum, posuimus crucem super lignum ita quod publice videri poterat. Ego vero tenebam in manu turibulum quod mecum detuleram, et incepimus cantare alta voce dicentes: *Veni Creator Spiritus* etc. Et dum sic cantaremus, audivit voces nostras, nosque vocari fecit et ad eum accedere nos iussit.

Cum superius alias dictum fuit, quod nullus audet currui suo appropinquare ad iactum lapidis nisi sit vocatus, exceptis custodientibus eum, et cum ivissemus ad eum cum cruce elevata, deposuit statim gallerium suum, sive capellum, inextimabilis quasi valoris, et fecit reverentiam ipsi cruci. Statimque in turibulum quod habebam incensum reposui, et Episcopus noster de manu mea accepit turibulum et eum turificavit.

Accedentes vero ad ipsum dominum, semper aliquid offerendum secum defferunt, observantes illam legem antiquam: *Non apparebis in conspectu meo vacuus.* Idcirco portavimus nobiscum aliqua poma, et ea sibi super unum

incisorium obtulimus. Et ipse duo accepit de istis pomis et de uno aliquantulum comedit, et sibi inde predictus noster Episcopus benedictionem suam impendit. Et hoc facto nobis iubsit ut recederemus, ne equi post ipsum venientes et multitudo in aliquo nos offenderent.

Statim vero discessimus et divertimus, et ad aliquos barones suos, per fratres nostri Ordinis ad fidem conversos, ivimus, qui in exercitu erant, et obtulimus eis de predictis pomis. Qui cum maximo gaudio ipsa recipientes, ita videbantur letari ac si eis prebuissemus familiariter magnum munus.

Ex Libro B. Fr. Odorici a Portu Naonis, cap. XXXVIII, iuxta novam editionem in *Sinica Franciscana,* t. I, cura P. Anastasii Van de Wyngaert, ad Claras Aquas, 1928.

IV.

Ex Relatione Fr. Ioannis a Cora Ord. Praedicatorum.

Des Freres Meneurs, qui demeurent en ce pays de Catay. — En la ditte cite de Cambalech fu uns archeuesques, qui auoit nom frere *Iohan du Mont-Corvin* de l'Ordre des freres Meneurs, et y estoit legas enuoiez du pappe Clement. Cilz archeuesques fist en celle

cite dessus ditte trois lieux de freres Meneurs, et sont bien deux lieues loings ly uns de l'autres. Il en fist aussy deux autres en la cite de *Racon* (Zayton) qui est bien loings de Cambalech le voiaige de trois mois, et est dencoste la mer. Esquelz deux lieux furent deux freres Meneurs euesques. Ly uns eut nom frere *Andrieu de Paris* (1), et ly autres eut nom frere *Pierre de Florense*. Cilz frere *Iohan* larceuesques conuerty la moult de gens a la foy Jhesucrist. Il est homs de tres honneste vie et agreable a Dieu et au monde, et tres bien auoit la grace de lempereur. Ly empereres lui faisoit tousiours et a toute sa gent aministrer toutes leurs necessitez, et moult le amoint tous crestiens et paiens. Et certes il eust tout ce pays conuerti a la foi crestienne et catholique, se ly Nestorins fauls crestiens et mecreans, ne le eussent empechiet et unist. Ly dis Arceuesques at grant paine pour ces Nestorins ramener a la obedience de nostre mere sainte Eglise de Rome. Sans laquelle obedience il disoit que ilz ne pouuoient estre sauue : et pour ceste cause ces Nestorins scismas auoient grant enuie sur lui. Cilz ar-

(1) Corrige : *de Perusio*.

ceuesques, comme il plot a Dieu, est nouuellement trespassez de ce siecle. A son obseque et a son sepolture, vinrent tres grant multitude de gens crestiens et de paiens, et descioient ces paiens leur robes de dueil, ainsi que leur guise est. Et ces gens crestiens et paiens pristrent en grant deuocion des draps de larceuesque, et le hurent a grant reverence, et pur relique. La fu il enseuelis moult hounourablement a la guises des fiables crestiens. Encore uisite en le lieu de sa sepulture a moult grant deuocion.

Des Nestorins crestiens scismas qui la demeurent. — En la ditte cite de Cambalech a une maniere de crestiens scismas que on dit Nestorins. Ilz tiennent la maniere et la guise des Grieux, et point ne sont obeissant a la sainte Eglise de Romme. Mais ilz sont de une autre secte, et trop grant enuie ont sur tous les crestiens catholiques qui la sont obeissant loyaument a la sainte Eglise dessus ditte: et quant cilz arceuesques, dont par cy-devant auons parle, ediffia ces abbaies des freres Meneurs dessus dittes, cilz Nestorins de nuit le destruisoient, et i faisoient tout le mal que ilz pouuient. Car ilz ne osoient audit arceuesque ne a ses Freres ne auz autres fiables crestiens

mal faire en pubblique ne en appert, pour ce que ly empereres les amoit et leur monstroit signe damour. Ces Nestorins sont plus de vente milie demourans au dit empire de Cathay, et sont tres-riche gent. Mais moult doubtent et crieinent les crestiens. Ilz ont eglises tres-belles et tres-devotes avec croix et ymagines en honneur de Dieu et de Sains. Ilz ont du dit empereur plusieurs offices. Et de lui ont ilz grandes procuracions, dont on croit que se ilz se vouluissent accorder et estre tout a un avec ces freres Meneurs, et avec ces autres bons crestiens, qui la demourent en ce pays, ils conuertiroient tout ce pays et ce empereres a la uraie foy.

De la grant faueur, que le Grant Caan a a ces crestiens dessus dis. — Le Grant Caan soustient les crestiens qui en ce dit royaume sont obeissant a la sainte Eglise de Romme, et leur fait pouruoir toutes leurs necessitez; car il a eulx tres-grant deuocion, et leur montre tres-grant amour. Et quant ilz lui requirent au demandent aucune chose pour leurs eglises, leurs croix, ou leurs santuaires rappareiller a lonneur de Jhesucrist, moult uoulentiers leur ottroie. Mais quil prient a Dieu pour lui et pour sa sante, et especialment en

leurs sermons. Et moult uoulentiers ot et ueult que tous prient pour lui. Et tres-uoulentiers seuffre et soustient que les Freres preschent la foy de Dieu en l'eglises des paiens, lesquelles ilz appellent *Vritanes*. Et aussi uoulentiers seuffre que les paiens uoisent oir le preschement des Freres. Sy que cil paiens y uont moult uoulentiers, et souuent a grant deuocion, et donnent aux Freres moult aumosnes, et aussi cilz empereres prest et enuoye moult uoulentiers ses gens en secours et en susside des crestiens, quant ilz en ont affaire, et quant ilz le reqerent a lempereur.

Jacquet, *Le livre de l'estat du Grant Caan*, in *Nouveau Journal Asiatique*, Paris 1830, t. VI pp. 68-71; et ap. Civezza, *Storia delle Missioni Francescane*, t. III pp. 601-604 in nota.

INDEX

Vita et Gesta . . . . . *Pag.* 3
Documenta 27
I. De nova ecclesia in Tartaria fundata et plantata per fr. Ioannem de Monte Corvino 28
Epistola 1ª fratris Iohannis de Monte Corvino, 8 ian. 1305 29
Epistola 2ª fratris Iohannis legati Pape in Tartaria archiepiscopi, 13 feb. 1306. 35
II. Compendiosa Relatio Fr. Arnoldi de Alemania socii Fr. Ioannis de Monte Corvino 41
III. De reverentia quam magnus Canis fecit sanctissimo signo crucis . . . 45
IV. Ex Relatione Fr. Ioannis a Cora Ord. Praedicatorum 47

922.2151
M 773g

AUTHOR

Golubovich, Hieronymus

TITLE

Vita it gesta Fr. Ioannis de Monte Corvino

922.2151
M773g

28